

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**De vulgari hominis definitione, qua dicitur animal
rationale**

**Rötenbeck, Georg Paul
Esper, Johann Daniel**

Altdorfii, 1695

Prooemium

urn:nbn:de:bsz:31-102720

PROOEMIUM.



Prudenter admodum & modeste de se dixisse fertur Socrates, utut Sapientissimus omnium suorum ex ipsius oraculi ore fuerit habitus: se nescire quid Homo sit. Hominem enim quisquis penitus inspexerit, tam mirificam eum Immensi Creatoris fabricam esse videbit, ut cognoscendo Homini Homo vix ac ne vix quidem sufficere possit. Omnia de Homine dixerō, si Eum Microcosmum atq; compendium dixerō, in quo, quaecumq; in tota rerum universitate sunt, divina tam scite expressit Dextera, ut pulcherrimam Microcosmi cum Macrocosmo analogiam sedulus naturæ contemplator satis nequeat admirari. Quodsi enim à potiori ordiendum est; Mundum illum Majorem intuenti mihi ipsum statim Divinum Numen sese offert, quod in Microcosmo animus humanus refert; est enim ille, ut Cic. s. Tusc. ait, ex mente divina decerptus & cum nullo alio nisi cum ipso Deo, si hoc fas est dictu, comparari potest. Deum Spiritum seu rem cogitantem esse compertum est; sed spiritali natura cogitandi facultate mens hominis quoq; gaudet. Deo sua constat simplicitas: nec vero mens humana ex partibus compacta vel ex materia & forma composita apparet. De Dei Immortalitate vix erit quisquam qui dubitet: at nec humanus animus vita sua privari potest. Regit Deus quaecumq; in hoc contingunt universo: mens hominis, qua sunt in corpore, ferme omnia efficit. Illius jussu omnes Creaturae, hujus omnes potentiae inferiores exequuntur, Quod insuper vel brevissimo temporis spatio, citraq; omnem loci mutationem mens nostra nunc ad terra centrum se demittat, nunc in caelos excurrat, nunc vastissima caelorum spatia supervolet, quid nisi divina omnipra-

sentia adumbratio est? Quemadmodum tamen Deus, non obstante sua omni presentia, fixas in cælo quasi sedes habere concipitur; sic anima nostra in capite velut alta specula residet, ut omnia eò promptius & cautius fieri jubeat, caputq; convexa sua & spherica figura cælum, flammantesq; oculi sidera representant. Corpus humanum præterea ex omnibus, ut Macrocosmus, compactum est Elementis; Circuitus sanguinis circulationi aquarum respondet; Bruti Homo perceptione sua sensuali, & principio vegetabili plantis assimilari quodammodo potest, pilosq; & ungues nostros nihil aliud esse quam plantas dixeris. Omnia adeo, quæ in toto terrarum orbe reperiuntur, compendiosissime in Homine delineata apparent, ut vere non minus quam prudenter & modeste Socrates dixerit: Se nescire quid Homo sit. Quo plura vero cognitu difficiliora & abstrusiora in Homine velut Epitome latitant, eò minus mirabimur in accuratam Hominis definitionem etiamnum à multis inquiri, nec paucos in ea cudenda frustra jam se torfisse, nullamq; pene adhuc extare, quæ pluribus, non dicam omnibus, satisfaciatur. Nobis nunc vulgatissimam illarum, qua Homo dicitur animal rationale ad Eclecticam Philosophiam amissim exigere placet. Tu, B. L. fave conatui nostro, & nobiscum Divini Numinis opem huic labori apprecare.

CAPVT I.

§. I.

Decantatissima Scholasq; nostras passim pervagata Hominis definitio, quod sit *Animal rationale*, in quam Scholastici dudum velut conjurasse proque ea tanquam pro aris & focis mascule pugnasse semper sunt visi, hoc certe excusatius sub incudem nunc mitti, liberiusq; paulo à nobis expendi poterit, quo pluribus sagacioris Minervæ Viris aliquo jam tempore nauseam ea movit, & variis horum arietibus sic concussa telisq; plurimis ita confossa apparet, ut tanquam mortuæ potius insultare quam vivæ litem intendere videamur.

§. 2. Ut